

ur, adeoq; ex invidiæ regno paulum discedunt longius, exequiales suas cantilenas inchoari, tonumq; gloriâ & honore plenissimum memoriæ destinari exaudiunt.

Et dicerem verò, Parens oculissime, paratos jam esse *Discipulorum Choros*, quibus & olim profuisti, & in hunc usq; diem prodesse es conatus; ac adeo non contemnendis argumentis evincerem, præ multis aliis Tuam nunc felicitatem effloruisse: nisi notum mihi esset ac perspectum, ex alio fonte hauriendam felicitatis certitudinem, si persuaderi debeat animus ab omni vanitatis desiderio remotissimus. Quamobrem dic mihi quem inter Homines beatum aliquando deprædicaveris, ac in quo salutis genere Tua sibi prosperitas quam maximè placuerit? Tunc ego his ipsis rationibus ivero demonstratum, optatissimam Tuam felicitatem in Emerito hoc Statu fieri & agnosci pulcherrimam. Neq; fortassis diuturna cogitatione fuerit opus, si e Platonis doctrinâ vel ipsi Ethnici statuerunt, summum hominis Bonum, cui omnes actiones destinari, omnia vota consecrari, universus deniq; animus offerri unicè debeat, IN FRUITIO-NE DEI consistere, si videlicet, quantum humana permittit imbecillitas, cum Deo jungamur, ex ejus sapientissimâ voluntate utramq; fortunam dispensemus, ac indies ad perfectissimi hujus Entis commercia proprius adscendamus. Quanto enim magis, qui Christianâ doctrinâ innutritus est, felicissimam hanc DEI fruitionem, seu ut alias loqui consuevimus, illibatam Conscientiæ tranquillitatem, optimum Vitæ condimentum, ac pretiosissimum humanitatis thesaurum appellaverit. Jam quis Conscientiæ divinam hanc
sua-